

esset: aut præceptum hoc Dei cum voluntate ejusdem revera pugnasse: aut non verum ac serium præceptum, sed tentationem tantum, sive memoriam quandam explorationem, hinc fuisse. Quorum illud tu quidem asseris, sed (7) falsò: istud verò non obscure damnas. Vide plura supra Sect. 5. & præsertim 10.

dem combustionis. nam hanc Deus Abrahamo disertè mandavit: & tamen eam fieri noluit, atq; etiam prohibuit.

stum, id est, ita ut eum combureret: ergo jusserat ut oblationi extremam manum imponeret. Nihil enim amplius ei mandaverat.

7) Imò verò, respectu quidem noluit: quia prohibere vo-

SECTIO LXXVIII.

An omnis Dei voluntas actu impleatur. Ubi iterum de pugna voluntatis, ac præcepti divini.

P Ag. 302. & 303. disputat, non omnem 1. Dei voluntatem actu semper impleri.

NOTA PISCATORIS.

Sed confundit 2. voluntatem Dei propriè dictam, & mandata Dei: quibus significat Deus, quid velit 3. à nobis fieri, hoc est, quid nostri sit officii.

RESPONSIO VORSTII.

1. Sanè (1) si omnis Dei voluntas actu semper impleretur, tum aut Deus peccati auctor esset, aut nullum in mundo peccatum esse posset: (2) quum peccatum nihil aliud sit, quàm divinæ legis transgressio, 1. Johan. 3. lex autem, expressa divinæ (3) voluntatis imago sit, Exod. 20. Nisi fortè Deum in lege ferenda, inque observatione ejusdem urgenda, (4) hypocriticè nobiscum agere dixerimus: qui aliud quidem foris jubet, aliud intus revera velit. Quod absit. Porro si vel peccatum non est, vel Deus peccati auctor est: (5) sequitur, Religionem nostram universam prorsus inanem esse: & speciatim, pœnas omnes, tam divinas, quàm humanas, quæ maleficis ipsis infliguntur, omnino injustas esse &c. Quod postremum etiam ex thesi tua principali per se (6) consequitur: si præsertim omnis Dei voluntas (ut quidem habet opinio tua) prorsus absoluta, & efficax, & simpliciter irresistibilis est, omnesque causas inferiores & tempore, & ordine naturæ, necessariò antegreditur, etiam respectu ipsius præscientiæ &c. Tum enim nihil omnino fieret, nihilque

NOTÆ PISCATORIS.

1) Nego consequentiam. nã quum questio est, an omnis Dei voluntas actu semper impleatur: questio est de voluntate Dei qua vult aut ipse aliquid facere, aut permittere ut fiat à creaturis rationalibus. Utrum verò horum velit: voluntas ejus semper actu impletur. nec tamen sequitur, ipsum esse authorem peccati: quia peccatum non vult ipse facere, sed permittere ut fiat à creaturis rationalibus. Quatenus autè peccatum permittit, eatenus peccatum in mundo esse necesse est. Quum vi relatorum, permissio non possit esse sine facto quod permittitur. 2) Sed quid ista ratio facit ad probandum præcedens connexum? 3) Hic committis fallaciam homonymiæ. Questio hinc est de voluntate Dei qua vult aliquid vel ipse facere, vel permittere ut ab aliis fiat. Lex autem non est imago hujus voluntatis: sed est imago ejus voluntatis qua ei placet opus hominis quod Legi conforme est. 4) Nego consequentiam: quia connexum nititur falsa definitione hypocriteos. 5) Sed quid ista absurda consequentia ad me, à quo non statuitur antecedens? 6) Nego.

r 3